



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

De motu discreto Angeli. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

philosophi communiter appellant internam resistentiā mobilis, ex qua dicunt provenire necessario successione motus. Et quamvis Deus potentia sua absoluta possit idem corpus, quasi replicatum in diversis locis & distantis etiam intra vacuum collocare, tamen facere nequit, ut sic positum corpus ex vna in aliam distantiam in instanti transire dicatur, cum reuera non transeat, sed permaneat simul. Hanc autem resistentiā in Angelo etiam concedere debemus: nam cum suapte natura ad certum locum determinetur, ut in maiori esse non possit, efficitur, ut successione debeat esse in medio, & in extremo: quod si potentia Dei absoluta in medio, & in extremo simul collocaretur, non diceretur per medium ad extremum moveri, sed simul in utroque permanere. Ego vero adderem, resistentiā medijs non esse causam successione motus, nec ad illam villo modo conducere, sed ad solam velocitatem illius. Nam cum successio motus in eo consistat, ut partem habeat post partem, & ablato quocunque alio extrinseco, hæc sufficienter proveniat ex quantitate corporis, aut ex natura Angeli determinata ad certam quantitatem loci, & spatij, & hæc ablata, posito quocunque alio non sequatur successio, consequitur, hanc esse totam causam successione: velocitas autem provenit ex virtute motoris per se, ex minori vero resistentiā spatij per accidens: cumque Angelus nullam habeat in medio resistentiā, ut moueatur, ex sola virtute illius velocitas sumenda est: velocitatē autem à successione differre inde probatur, quod cum eadem successione potest esse maior, & minor velocitas.

Si autem aliquis inquirat de velocitate motus Angelici, an sit determinata, & determinatum tempus requirat, vel minori, & minori tempore Angelus possit in eodem spacio moveri: respondent nonnulli posse breviori, & breviori tempore semper intra idem spaciū moveri: ita videtur docuisse *Alexand. 2. parte qu. 35. memb. 1. ad primum*: & cogantur dicere, qui docent moveri posse per medium in instanti. Consentit etiam *Capreol. in secundum dist. 6. qu. 1. artic. 3. ad tertium contra secundam conclusionem*. Et videtur esse doctrina Patrum, quos allegavimus disputat. 194. cap. 2. qui asserunt Angelum impigre adesse, ubi voluerit, & Augustini, quem refert Gregor. Arimin. pro sua sententiā in quaestionibus de resurrectione, ubi affirmat corpus gloriosum utraque intervalla eadem celeritate transire, qua radius Solis transit. Ego tamen existimo, magnam esse velocitatem Angeli, & quæ visu corporeo discerni facile non possit, & corporis gloriosi similiter; at vero tanta non est, ut sit in instanti sine motu etiam si radius Solis sine successione intervalla pertranseat. Et namque comparatur ab Augustino velocitas corporis gloriosi, vel Angeli, ut aliquo exemplo visibili rem nobis declarat, non quod in instanti sit: ceteri namque motus, qui visu cernuntur, tardiores sunt, quam explicare nobis possint velocitatem motus Angeli, & corporis gloriosi. Hoc eodem sensu Patres dixerunt Angelos impigre ubique adesse, & sine motu: quod enim tam subito sit, etiam si in successione aliqua positum sit, nobis momentaneum apparet: & *August. lib. vii. de civit. Dei c. vii.* hæc eadem ratione dixit, motum corporis gloriosi ad nutum esse animæ eius.

Adde præterea, hanc magnam Angeli veloci-

tatem, si propriæ virtuti compararetur, determinatam esse: impossibile namque est virtutem determinatam, & determinatam esse, & non habere effectum velocitatis determinatam. Hæc enim ratio probavimus disp. 113. c. 2. potentiam Dei esse infinitam, quia movere potest velocius, & velocius in infinitum.

Quare non potest Angelus in breviori, & breviori tempore in infinitum, ut ei libenter movetur, sed erit maximum tempus virtuti illius adequatum, etiam si illa summa velocitas ex motu illius pendeat. De corpore glorioso idem ob eandem rationem dicendum est, si ab intrinseco movetur virtute aliqua creata sibi communicata: nam si à Deo movetur pro sua voluntate, non erit determinata velocitas: Deus enim velocius, & velocius in infinitum movere potest aliquod corpus.

Ceterum nonnulli Philosophi contra dictam rationem quam adduximus cap. præcedenti, concedunt corpus in vacuo moveri non posse in instanti, tamen simul esse in medio, & in fine vacui, si corpus aliquo modo contingat superficiem vacui, ut in illo exemplo fistulæ vacuæ, quod superiori c. adduximus: at si corpus sit intra vacuum non contingens extremam superficiem vacui, dicendum esse cum Arist. motum in vacuo in instanti futurum. Ceterum effugium hoc inutile est: primum, quia in instanti motus esse non potest, ergo potius dicendum esset mobile in aliqua distantia in instanti permanere, quam ex vna in aliam moveri.

Deinde dubium non est, intra vacuum, vel super cælum, ubi propriæ vacuum non est, ut disp. 29. c. 3. ex Aristot. notavimus, non posse esse corpus in se magis latum, profundum, & longum, quam in pleno, & ita sua quantitate non posse impedire, quo minus secum alia corpora ordine quodam collocentur, ut replant magis, quam ipsum solum per se replere posset: ergo ut pro aliis corporibus, ipsum mobile replere, & extendi possit, necessario id facere debet successione: non enim potest simul respondere quantitate ad corpus, quæ simul cum ipso replerent, nec oblique quæquam, quo minus id successione possit facere. Et quibus efficitur corpus vel intra vacuum, vel extra cælum recte moveri posse, sicuti in ea disputat. c. probatum est, & necessario successione debere moveri.

CAPUT IV.

De motu discreto huius Angeli.

Disputatione præcedenti c. 2. monstratum est Angelum de loco ad locum moveri posse sine medio. Hæc vero opinio est supposita, docent *S. Thomas, Caietanus*, & nonnulli recentiores in hoc articulo, tunc quidem Angelum moveri motu discreto. Appellanti vero motum discretum quasi numerum constantem ex unitatibus existentiā Angeli in utroque loco cum illa successione, verbi gratia, si Angelus sit prius in A. deinde in B. & tandem in C. quæ sint distincta loca non communicantia, dicitur moveri discrete in toto tempore, quo est in omnibus: Quare in eorum sententiā primus locus non est terminus, à quo extrinsecus motus discreto, sed est pars ipsius motus, sicut secundus, & tertius locus. In eadem sententiā, & ob eandem rationem dicendum est mobile non moveri, quando est in vno loco illorum præcise, sed dum est in omnibus, vel in vno loco

10.

Alexand.

Capreol.

11.

August.

QUESTIO LIV.

De cognitione Angelorum.

que illorum cum respectu ad reliqua sicut numerus non est in singulis unitatibus per se, sed in omnibus simul, vel in qualibet cum respectu ad alias: ita notavit Caietan. in commentario circa solutionem primi.

Quæ sententia quamvis veta sit, nihilominus dici possent plures mutationes secundum locum, quando post unum locum plura adquiruntur absque continuatione, quarum qualibet esset instantanea, quia terminus ad quem in instanti producitur. Nec obstat quidquam successio, quæ ibi est inter terminum à quo, & terminum ad quem; hæc enim in omnibus mutationibus, quæ fiunt in instanti necessario esse debet, nam mutatio non est, nisi adquisitio termini ad quem, quæ fit in instanti, etiam si respiciat terminum à quo. Posse autem dici plures mutationes, ex eo probatur, quia in quovis loco, ex quo ad alium discrete transit Angelus, debet esse quies per tempus, ergo quies in illo non pertinet ad motum: alioqui cum quis movetur ex una qualitate in aliam, & in qualibet illarum quiescit, diceretur uno motu discrete moveri, & similiter in motu secundum locum, quando quies per tempus interrumpitur: porro Angelum quiescere per tempus in quovis loco, ex quo ad alium discrete transit, sic ostenditur: Angelus, antequam adquirat secundum locum, debet esse in primo ita, ut esse in uno, sit non esse in alio: sed in secundo, & in tertio, & sic de aliis, incipit esse in instanti nostri temporis, & per primum esse, illud igitur primum esse secundi, est primum non esse primi, & primum esse tertij est primum non esse secundi, & ita de reliquis: ergo in quovis loco, in quo desit esse Angelus per primum non esse, necessario fuit per tempus, ut manifestum est, ac proinde per tempus quiescit. Existentia autem in loco per quietem ad motum pervenire non potest, ut pars, sed ut terminus, à quo, ergo plures erunt mutationes, non unus motus.

Respondent nonnulli, motum Angeli discretum constare instantibus diversis temporis discreti, quod putant esse alterius rationis à nostro, quod continuum est, & ita in singulis locis esse per instans tantum illius temporis, ac proinde existentiam in quovis loco ad motum per se pertinere: nihil autem obstat, quo minus instantia illius temporis immediata sint, hoc enim peculiare est temporis discreti, quod solis instantibus componitur. Verum concedamus illis durationem intrinsecam existentie in illis diversis locis esse, & appellari tempus discretum diversum à tempore nostro, quod in motu cæli, vel corporis consistit: nihilominus non debemus dicere durationem illam existentie Angeli in diversis locis seipsam metiri, ut constat ex dictis in disp. c. 1. ubi probavimus nostrum tempus metiri etiam has Angeli operationes, aut saltem, licet earum mensura non sit, negari non potest eas coexistere temporis nostro, & ita necessario manere Angelum in quovis loco per durationem temporis nostri, ut probatum manet, id quod satis est, ut existentia in quovis loco dicatur quies, & ad motum nulla ratione pertineat. Ceterum in hac re hoc, vel illo modo loqui parum interest.

Vasques in 1. p. tom. 2.

Consideratis his, quæ ad substantiam Angeli pertinent, procedendum est ad cognitionem ipsius. Hæc autem consideratio erit quadripartita. Nam primo considerandum est de his quæ pertinent ad virtutem cognoscitivam Angeli. Secundo de his, quæ pertinent ad medium cognoscendi ipsius. Tertio de his, quæ ab eo cognoscuntur. Quarto de modo cognitionis ipsorum.

ARTICULVS I.

Verum intelligere Angeli sit eius substantia.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod intelligere Angeli sit eius substantia: Angelus enim est sublimior & simplicior, quam intellectus agens animæ. Sed substantia intellectus agentis est sua actio, ut patet in 3. de Anima per Aristotelem, & eius commentatorem. Ergo multo fortius substantia Angeli est sua actio, quæ est intelligere.

2. Præterea. Philosophus dicit in 11. Metaphys. quod actio intellectus est vita: sed cum vivere sit esse viventibus, ut dicitur in 2. Anima, videtur quod vita sit essentia. Ergo actio intellectus est essentia intelligentis Angeli.

3. Præterea. Si extrema sunt unum, medium non differt ab eis, quia extremum magis distat ab extremo, quam medium. Sed in Angelo idem est intellectus & intellectum ad minus in quantum intelligit essentiam suam. Ergo intelligere, quod cadit medium inter intellectum & rem intellectam, est idem cum substantia Angeli intelligentis.

Sed contra. Plus differt actio rei à substantia eius, quam ipsum esse eius: sed nullus creati suum esse est sua substantia. Hoc enim iolius Dei proprium est, ut ex superioribus patet. Ergo neque Angeli, neque alterius creaturæ sua actio est eius substantia.

Respondeo dicendum, quod impossibile est, quod actio Angeli vel cuiuscunque, alterius creaturæ sit eius substantia: actio enim est proprie actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ, vel essentia. Impossibile est autem, quod aliquid quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas: quia actualitas potentialitati repugnat. Solus autem Deus est actus purus. Unde in solo Deo sua substantia est suum esse & suum agere. Præterea.

Sf 2 terea.

275.
2. d. 2. qu. 1.
art. 1. col.
7. Et 2.
cont. c. 25.
quodl. 1.
art. 4. Et
opuscul. 30.
leg. 7. & 9.

2. 3. art. 4.
Et 4. art.
2. c. 2.



tere. Si intelligere Angeli esset sua substantia oporteret, quod intelligere Angeli esset subsistens. Intelligere autem subsistens non potest esse nisi vnum, sicut nec aliquid abstractum subsistens. Vnde vnus Angeli substantia non distingueretur, neque à substantia Dei, quæ est ipsum intelligere subsistens, neque à substantia alterius Angeli. Si etiam Angelus ipse esset suum intelligere, non possent esse gradus in intelligendo perfectius & minus perfecte, cum hoc contingat propter diuersam participationem ipsius intelligere.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, quod intellectus agens est sua actio, est prædicatio non per essentiam, sed per concomitantiam: quia cum sit in actu eius substantia, statim quantum est in se, concomitatur ipsam actio. Quod non est de intellectu possibili, qui non habet actiones, nisi postquam fuerit factus in actu.

Ad secundum dicendum, quod vita non hoc modo se habet ad viuere, sicut essentia ad esse, sed sicut cursus ad currere, quorum vnum significat actum in abstracto, aliud in concreto. Vnde nõ sequitur, si viuere sit esse, quod vita sit essentia. Quamuis etiam quandoque vita pro essentia ponatur: secundum quod August. dicit in libr. de Trin. quod memoria, & intelligentia, & voluntas sunt vna essentia, vna vita: sed sic non accipitur à Philosopho, cum dicit, quod actio intellectus est vita.

Ad tertium dicendum, quod actio, que transit in aliquid extrinsecum, est media inter agens, & subiectum recipiens actionem. Sed actio quæ manet in agente, non est realiter medium inter agens & obiectum, sed secundum modum significandi tantum. Realiter vero consequitur vnionem obiecti cum agente. Ex hoc enim quod intellectum sit vnum cum intelligente, consequitur intelligere, quasi quidam effectus differens ab vtroque.

CONCLUSIO est, Intelligere Angeli non est illius substantia, circa quam breuis erit cum Aristotele & Durando controuersia.

DISPV. GXCVIII.

An intellectio in Angelo sit sua substantia.

Sententia Aristot. & Durandi, c. 1.

Intellectionem in Angelo non esse eius essentiam verior sententia docet, c. 2.

Sententia Aristot. & Durandi.

Facilis sane cum Aristot. & Durando de hæc controuersia est, quam paucis quoque expediemus. Aristot. igitur 12. metaph. 7. cum docuit Deum esse vnã substantiam immortalem, & perpetuam, semper intelligentem, cuius essentia sit intelligere; idem quoque de aliis substantiis separatis c. 9. affirmare videtur. Otenit autem primum, intellectionem harum substantiarum non mutari, quia alioqui in intelligendo fatigaretur: Deinde earum substantiam esse vnã intelligere, si probatur, quia si esset aliquid accidens, non essent nobilissima substantia, vt ipse supponit. Hanc sententiam eo loco amplectatur Commentator Alexand. Aphrodis. & Philoponus. Et Scholasticis vero nostris solus Durand. in 2. disp. 9. q. 2. ad primum aliter cogitationem, qua Angelus seipsum cognoscit, esse suam substantiam: at enim in hæc verba, Quamuis intelligere sit actus præter intellectum Angeli realiter ab ipso differens, quando intelligitur vnã aliam a se: tamen esse non est actus essentie realiter ab ipso differens. Vbi, cum concedat intellectionem realiter distingui à potentia intelligere, quando Angelus intelligit alia præter se, id non videtur concedere de intellectu, quæ seipsum cognoscit: cumque dicat potentiam intelligentem esse idem cum essentia, videtur plane existimare, intelligere non distingui ab essentia & substantia Angeli, quando seipsum intelligit.

Intellectionem in Angelo non esse eius essentiam, verior sententia docet.

Communis sententia Scholasticorum amplectenda est in secundum dist. 3. quos inferius singularem referemus, qui asserunt cum S. Thoma in hæc art. intellectionem in Angelo, quæ seipsum vel alia intelligit, non esse eius essentiam & substantiam, sed accidens quoddam ei adiectum. Colligitur autem ex Leone 1. in epist. 9. c. 2. vbi ita loquitur, Sicut solus Dei proprium est intellectionem esse, sic etiam nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est, sed multi participes sunt veritate, & sapientia, atque iustitia: solus autem Deus nullius participationis est indigens. Id vero, quod de hominibus definit Leo, de quavis creatura, etiam spirituali intelligit, cum dicat solius Dei proprium esse intellectum esse, sapientiam esse, &c. Dion. quoque cap. 11. de cel. hierar. inquit Omnes mentes celestes diuini in essentiam, virtutem, & actionem: que tria etiam distinguit Anselm. c. 8. de casu diaboli. Ad hæc constat ex scriptura Angelis post creationem cursu temporis multa fuisse reuelata: horum igitur cognitio non est eorum substantia, nam cum ipsis semper elset.

Hæc omnia recte probant sententiam Aristot. non solum falsam, verum etiam nota erroris dignam esse: cumque non sit maior ratio de intellectione aliarum rerum, quam sui ipsius in Angelo, cum & patres allegati ab ijs, vltima distinctioe verisimiliter de intellectione loquantur, opinio etiam Durandi absurda erit: contra quam disp. 9. q. 2. in 2. disp. 7. q. 2. & in 2. disp. 3. q. 2. art. 2. conclus. 1. & Martini in 2. q. 7. art. 1. secunda parte, conclus. 2.

Libro de Trin. c. 11. ante mediũ 10. 3. Et 9. de Trin. c. 4.